



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

Digr. II. De aliis nominibus Spiritui Sancto propriis, vel appropriatis,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77146)

tio. prescientia illustratio. Hoc Propheta illustrantur, A

hoc idiota sapientia conduntur, Spiritu Sancto Reges inunguntur, Sacerdotes ordinantur, Doctores illuminantur, Ecclesie sanctificantur, altaria fundantur, unguentum consecratur, aqua purgantur, Demones abiguntur, morbi curantur. Hic Spiritus (subdit Cyprianus) rubri maris aquas siccavit, & suspensis hinc inde vehementibus fluctibus ab ollis carnum, & Egypti pulmentaris, populum ad spiritalem cremi libertatem eduxit incolumem; & alimentis caelestibus pavit, manna quasi rorem matutinum infundens graminiibus, quod colligi iustum est ad mensuram.

Tr. 8.
de Spi-
ritu
Sancto.

207.

Quae tamen circa hoc nomen occurrunt difficultates, breviter hic resolvendae. In primis enim donum debet esse illius a quo datur: unde cum Spiritus Sanctus non possit dici esse Patris & Filii (hoc enim dominium & subjectionem importare videtur, quae inter personas divinas reperiri nequeunt) Spiritus Sanctus donum Patris & Filii appellari nequit.

Præterea, cum donum duplicem respectum importet, unum ad personam a qua datur, alium ad personam cui datur; & nulla creatura ab æterno existat, cui Spiritus Sanctus donari possit; nomen do ut non videtur posse Spiritui Sancto ab æterno, ratione suae processionis, ac proprietatis personalis, competere; sed solum in tempore, & per extrinsecam denominationem a creaturis desumptam.

208.

Verum primam difficultatem resolvit D. Thomas hic art. 1. ad 1. ubi docet donum esse posse alterius tripliciter; vel per modum identitatis, quasi a dante indistinctum; vel per modum possessionis, quasi a dante lubditum; vel per modum originis, quasi a dante originatum seu procedens. Primo modo essentiae divinae convenit esse donum; & hoc sensu Hilarius dicit lib. 8. de trinit. divinam essentiam esse donum, quod Pater dat Filio; quatenus scilicet per modum identitatis eam habet. Secundo autem modo gratia sanctificans, habitus charitatis, & alia bona creata, dona Dei esse dicuntur. Tertio denique modo, Spiritus Sanctus donum Patris & Filii appellatur, quia ab utroque procedit.

209.

Secundae etiam difficultati occurrit idem angelicus Doctor ibidem respons. ad 4. ubi dicit: Donum non dicitur ex eo, quod actu datur: sed in quantum habet aptitudinem ut possit dari: unde ab æterno divina persona dicitur donum, licet in tempore detur. Quam doctrinam ex Augustino desumpsit lib. 5. de Trinit. cap. 15. ubi de Spiritu Sancto loquens, ait: Quia sic ab æterno procedebat, ut esset donabile, jam donum erat, & antequam esset cui donaretur. Aliter enim intelligitur cum dicitur donum, aliter cum dicitur donatum: nam donum potest esse, & antequam detur: donatum autem, nisi datum fuerit, nullo modo dici potest.

* *

*

DIGRESSIO SECUNDA.

De aliis nominibus Spiritui Sancto propriis, vel appropriatis.

Præter tria nomina jam explicata, quae personalia sunt, plura alia recenseri solent, quae vel sunt illi propria, vel saltem appropriata.

In primis solet Spiritus Sanctus Patris & Filii nexus, seu indissolubile Trinitatis vinculum appellari: quia est amor notionalis Patris & Filii; amor autem est ignea catena, flammæque nexus, quod amantium corda inter se copulant; sive (ut ait Augustinus) vitæ cocinea duos copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, & amatum: unde & Dionysius amorem definit, vinum unitivam; & unionem inter præcipuos amoris effectus enumerat, itaque Spiritus Sanctus Patris & Filii nexus convenientissime appellatur: tripliciter namque univocatur Sanctissimæ Trinitatis Personæ, unitate scilicet essentiae, attributorum identitate, & individui amoris affectu; sive (ut loquitur S. Thomas) per consonantiam & convenientiam amoris: quia etsi per impossibile poneretur, quod non essent unum in essentia & attributis, ad perfectam tamen jucunditatem oporteret in illa intelligi unionem amoris.

Deinde Spiritus Sanctus, individuus Patris & Filii nexus dicitur, quia exit a Patre & Filio per eandem habitudinem, quae est communis spiratio, & ad illos unica passiva spirationis relatione refertur. Unde hoc etiam nomen Spiritui Sancto proprium est. Licet enim Pater Filium & Spiritum Sanctum respiciat, & Filius Patrem & Spiritum Sanctum: tamen nec Pater potest dici Spiritus Sancti & Filii nexus; nec Filius Patris & Spiritus Sancti vinculum appellari: quia Pater diversis relationibus Filium & Spiritum Sanctum respicit, illum paternitate, illum spiratione. Et similiter Filius per filiationem refertur ad Patrem, & per spirationem ad Spiritum Sanctum.

Ex hoc nomine derivatur aliud: nam Spiritus Sanctus, non solum individuus Patris & Filii nexus, sed etiam suavissimum utriusque osculum nuncupari solet. Quod egregie expendit & declarat D. Bernardus serm. 8. in Cant. ubi haec verba Sponsae: Osculetur me osculo oris sui, explicans ait: Si recte Pater osculans, Filius osculatus accipitur, non erit abs re osculum Spiritum Sanctum intelligi, ut pote qui Patris Filiique imperterritivum patris sit, gluten firmum, individuus amor, indivisibilis unitas.

Tertio idem amoris Spiritus, vinculum & nexus est, quo proximo copulamur. Quod enim (utquit Augustinus) est anima corpori humano, hoc est Spiritus Sanctus corpori Christi, quod est Ecclesia. Hoc agit Spiritus Sanctus in tota Ecclesia, quod agit anima in singulis corporis nostri membris, Anima, ut docet Seneca, vinculum est, quo singula ejus membra cohaerent: Spiritus Sanctus nexus est Ecclesiae, quo omnia ejus membra mystica conjunguntur; & funiculariter triplex, qui difficile rumpitur, ut dicitur Eccles. 4. Etenim fideles triplici nexu conjunguntur & copulantur; unitate scilicet fidei, & charitatis in, & claræ visionis in patria. Unde Pater unionum merito appellatur, naturæ vinculum, gratiæ gluten, Christianorum pax & harmonia, omnium.

omninoque creaturam felicissimum hymen. A
Et Job. 27. dicitur facere concordiam in subli-
mos: quia terrenis caelestia, humana divinis,
super in inferioribus, Verbum & carnem in Christo,
virginitatem & secunditatem in Maria, libertatem
& efficaciam gratiae in homine, mirabili ne-
cessario indissolubili sociavit.

Quia Spiritus Sanctus Patris & Filii gau-
dium seu complacentia appellari potest: produ-
cit enim per amorem, quo Pater sibi compla-
cet in Filio, ac in illo suavissime delectatur; juxta
illud Zenonis Veronensis: *Laturus Pater in alio
seipsum genuit ex se.* Unde sicut Apostolus ad Ga-
lath. 4. in gaudium esse fructum Spiritus Sancti,
ita etiam merito dicere possumus, Spiritum San-
ctum esse fructum gaudii, quo Pater ab aeterno
gaudet & letatur in Filio.

Quomodo Spiritus Sanctus, Paracletus seu Con-
solator nuncupari solet. Nam, ut dicitur S.
Thomae 4. contra Gentes cap. 22. *Proprium
nomen est, quod aliquis in praesentia amici delectetur,
in quo verbum & factus gaudeat, ac in eo consolatio-
nem contra omnes anxietates inveniat: unde in
scriptis maxime ad amicos, consolationis causa, con-
gruum.* Quia igitur Spiritus Sanctus Dei nos
consolat, & cum in nobis habitare facit,
etiam in ipso; consequens est ut per Spiritum San-
ctum, gaudium de Deo, & consolationem habeamus,
contra omnes mundi adversitates & impu-
raciones: unde in Psalmo 50. dicitur: *Redde mihi
lacrimum salutaris tui, & Spiritum principalem confir-
ma me.*

Ob eandem rationem etiam spiritalis unctio
ab Ecclesia appellatur. Nam omnia vulnera ani-
mae sanant; illam ad omnia virtutum opera
facilem mobilem reddit; omnium caelestium cha-
ritatum donis eam spiritaliter reficit ac im-
pingat; demum illam spiritaliter laetificat,
sicut loquitur Propheta, oleo faciem ejus exhi-
larat. Unde merito exclamat Richardus: *Habet
Deus oleum, habet oleum mundus, ad oleum
Dei vasa deficiunt, oleum mundi in vasis de-
fuit: oleum Dei, dulcedo aeternorum; oleum
mundi, delectatio praesentium; illa sufficit, ista
deficit.*

Denique Spiritus Sanctus virtus Altissimi in
Scriptura dicitur: Tum quia primum est divino-
rum omnium operum ad extra principium, ut
procedit ex infini dicendis: Tum etiam quia est
notionalis amor: Patris & Filii: amoris autem
maxima virtus est, nihil enim tam durum tam-
que ferreum est (inquit Augustinus) quod non
a quovis vincatur: Tum denique, quia factus
est Spiritus est prae potens auctor, cui mo-
venti & impellendi vis innata est. Quare Isaac
24. Spiritus robustorum dicitur esse quali turbo
impellens pariterem. Et Aetor. 2. Spiritus San-
cti adveniens ad modum turbis, seu Spiritus
vehementis, ab Evangelista describitur. Item
apud Ezechielem cap. 1. caelestis entium anima-
lis velocissimi huc atque illic ferebantur: quia
Spiritus vis erat in totis, illasque sacri Pneu-
matis prae potens afflatus otebat. Unde etiam
perlo ram stupenda Sansoni vis, qua leones in
se irruentes, quasi haec dos dilacerabat nisi quia
invenit in eum Spiritus Domini, ut dicitur Ju-
dice. 14. Unde in Apostolo tanta fortitudo &
constantia, qua Christum in trepidis periculis
& in periculis potestatis ausciter sustinebant,
quia induci fuerant virtute ex alto, & Spi-
ritu Sanctum in die Pentecostes receperant?

Tom. II.

Quocirca D. Gregorius homil. 30. in Euan-
gel. haec verba Platonicæ expendens, Verbo Domi-
ni caeli firmati sunt, & Spiritus oris ejus omnis vir-
tutis eorum: per caelos intelligit Apostolos, & ad-
dit: *Caerorum ergo virtus de Spiritu sumpta est:
quia mundi hujus potestates contrarie non praesumerent,
nisi eos Sancti Spiritus fortitudo solida-
dasset.*

Præter hæc nomina jam exposita, plura in
Scriptura repertiuntur hujus divini Spiritus en-
comia. Nam Sapientia 7. Spiritus intelligentiae
dicitur rectus; bonus, principalis, dulcis, san-
ctus, mundus, simplex, subtilis, modestus,
disertus, securus, certus, mobilis, huma-
nus. Rectus (inquit Cornelius Mullus) quia
prava vertit in directa, & aspera in vias planas. Bo-
nus, quo omnia mala pelluntur, vel cooperantur in vo-
num. Principalis, qui principes nos facit, perturba-
tionum omnium dominus, virtutum triumphatores.
Dulcis, per quem amara omnia dulcescunt, dum
charitas diffunditur in cordibus nostris. Sanctus, quo
peccata remittuntur, & peccatores sanctificantur.
Mundus, quo nihil mundius, qui facit mundos,
cui non placent nisi mundi. Simplex, qui effu-
git fictos, & odit omnem dolum. Subtilis ad il-
labendum, & ad scrutanda, & examinanda ju-
dicia profunda Dei. Modestus, sancti pudoris &
verecundiae auctor. Disertus, qui aperit ora mu-
torum, & linguas infantium facit esse disertas.
Securus futuri & presentis. Certus, qui nec
fallitur, nec fallit. Mobilis, abrumpens omnes
injustas moras impietatis, negligentiae & tarditatis
impatiens. Humanus, omnium hominum amans
animas.

118.

Lib. 3.
de sacro
histor.

DIGRESSIO TERTIA.

De effectibus seu operationibus attributis Spi-
ritui Sancto, respectu totius creaturae.

LIcet indivisa sint opera Trinitatis, ut Au-
gustinus dicit, quaedam tamen approprian-
tur magis uni personae quam alteri, propter ali-
quam specialem conformitatem ad id, quod ei
proprium est. Unde quaedam sunt, quae Spiritui
Sancto, secundum illam appropriationem, spe-
cialiter convenire dicuntur, ut create, ornate,
gubernare, & vivificare, quae in ordine ad omnes
creaturas illi conveniunt, ut docet S. Thomas 4.
contra Gentes cap. 20.

In primis ergo totius personae opus creationis
attribuitur, & Spiritus Sanctus in scripturis pal-
lim Creator ac mundi optex appellatur: quia,
ut inquit S. Thomas loco citato, *Bonitas Dei est
ratio volendi quod alii sint, & per suam volunta-
tem res in esse producit: amor igitur, quo suam Boni-
tatem amat, est causa creationis rerum.* Vnde
Dionysius cap. 4. de divinis nominibus ait, quod di-
vinitus amor non permisit Regem omnium sine ger-
mine in se ipso manere. Item Plato, & quidam
alii antiqui Philosophi auctorem, mundi opti-
ficem, & rerum omnium causam esse volue-
runt, ut dicitur 2. Metaph. Et Zoroastes olim
dicebat, ex uno igne omnia esse genita: quia om-
nia, quae in hoc mundo videntur, ex infinito di-
vini amoris igne proveniunt. Cum ergo Spi-
ritus Sanctus procedat per modum amoris, quo
Deus amat seipsum, est principium creationis
rerum: & cum in actionibus ad intra iteris sit
(non vitio naturae, sed ineffabilis arcani sacra-
mento)

119.

